

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de .

Das PDF wurde erstellt am: 22.06.2024, 18:19 Uhr.


De Majestate In Genere & Qvæstionibus illuc spectantibus, Dissertatio Juris Publici

Jenæ: Tyois Johannis Weidneri, Anno MDCXXII

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1818766469>

Druck Freier  Zugang





V. N. — 2 (140.)

41. 6. 2.
D. O. M. A.

De

MAJESTATE IN
GENERE

&

QVÆSTIONIBUS
illuc spectantibus,

DISSERTATIO JURIS PUBLICI.

Quam

Consentiente Magnifico, Nobiliss. & Am-
pliss. Actorum in illustri & florentissima Sa-
lanâ Collegio,

SUB PRÆSIDIO,

Clariss. atque Consultissimi Viri,

Dn. GEORGII FRANTZKII,

J. U. D.

Publicæ disquisitioni

ventilandam exhibet,

JOHANNES NICODEMI OREBRO-
GENSIS SVECUS.

Ad diem Novembr. in Auditorio Actorum.



J E N Æ

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI.
Anno M, DC, XXII,



DE MAIESTATE.

THESIS I.



DE Majestate, quâ
teste Bodino *lib. 1. de rep.*

c. 8. & 10. in pr. Post Deum immortalem
nihil in statu Reip. haberi aut excogita-
ri potest majus vel excelsius; quæque
vinculum est per quod resp. coheret, &
spiritus vitalis, quem hæc tot millia tra-

hunt, nihil per se futura nisi onus & præda, si mens imperii
subtrahatur, *Sen. lib. 1. de Clem.* disquisitionem liberalis exer-
citiij gratia, non in cujusquam, id quod heic in principio
testatum volumus, præjudicium, ad disputandum proposituri,
ante omnia vocabula ab æquivocatione, quæ mater errorum
esse solet, liberanda censemus. Nam si unquam verum est, quod
ait *Scalig. exercit. exot. 1. f. 1.* ex voce sæpenumerò provehimur
in perceptionem rei; & *Gædd. ad Rubr. de V. S.* in omni tracta-
tione rerum quid, potiorem, vocabulorum verò priorem ha-
bentem esse rationem; in hæc certè materiâ est, nam, uti mox
videbimus, ex neglectâ hic vocum acceptione variâ, in limine
mox impeerunt viri aliàs certè magni, undè necessum fuit,
ut in errorum præcipitiâ & maximas absurditates delaberentur.

II.

Majestatis est vox (quam alii à magnitudine cum Festo derivant, alii inter quos *Petr. Gregor. Tholos. l. 8. de rep. c. 3. n. 4.* & *Harpr. inst. de publ. jud. §. 3. num. 2.* quasi major status dictam volunt) Græcis *μεγία δέχνη, κύριον πολιτεύμα, αὐτοκρατεία*, *Bodin. l. 1. de rep. c. 8. Aristot. 3. Pol. 4.* appellata; primum dupliciter præcipue sumitur: Pro summâ potestate, & pro summo honore.

III.

Quam nos acceptionum diversitatem ab initio studiose annotandam censemus, cum *Arnif. lib. 1. de jur. Maj. c. 1. num. 1.* & 5 ne in describendâ Majestate, umbram pro corpore, speciem externam pro veritate accipiamus, quod fecit *Tholosan. 8. de rep. c. 3. §. 2.* definiens Majestatem latens quidpiam, quod præter naturam propriam admirabile quidpiam reddit; & *lipf. qui 2. Polit. c. 16.* ubi de Majestate agit, eam definit per *σεμνότητα*, seu reverendam quandam amplitudinem ob meritum virtutis aut rerum affinium. Nos enim primam illam significationem hoc in loco potissimum attendimus, & sic per Majestatem jus ipsum, quod in summâ potestate consistit, eamque insecutâ veneratione, intelligimus. Nam, quod alicubi possit esse splendor & maximus honor, quid imperitæ multitudini sæpiusculè imponere solet, ubi tamen nulla est plenitudo potestatis vel majestas, id vel Regis sacrificuli apud Romanos, qui nulli rei nisi cultui sacro præsidebat, *Dion. Halic. l. 5. Liv. l. 2.* & Regum Lacedæmoniorum, unicum si excipias Cleomenem, de quibus *Xenoph. in Rep. Lacedæm. hæc loquitur, Mensib. singulis in rep. Lacedæm. jurejurando se in vicem astringunt, Ephori quid, nomine reip. Rex autem suo; Regis jusjurandum est, regnum se gesturum ex præscripto legum lazarum: reip. conservaturam se regnum ipsius immotum, si quidem juramentum hoc non violaret;* & aliorum, quæ nunc recensere supersedeo, exemplis manifestum esse potest. Sicuti quoque è contrâ summam potestatem habere aliquis potest, etsi ad declinandam invidiam, vel aliam ali-

quam

quam ob causam sibi non usurpet honores, uti id in Augusto & Tiberio Imp. patet, quorum ille cuncta discordiis civilibus fessa, non aliter nisi nomine principis sub imperium accepit. *Tacit. lib. 1. annal.* hic à vitrico edoctus, admodum vilibus contentus titulus arbitrium rei Rom. obtinebat. *Vid. Suet. in Tiber. c. 24. & 26. Dion. Cass. lib. 57. Tacit. lib. 1. 4. 6. annal.*

IV.

Non e. differunt hæc duo, uti causa & effectus, quemadmodum vult *Besold. lib. 1. Pol. c. 2.* nisi tum fortè quando simul concurrunt in unum subjectum, tunc enim post adeptionem potentiae verenda illa *συνώνως* plerunque accedere solet, quamquam nec hoc perpetuò verum sit; atqui causa semper effectum suum respicit, uti & hoc posito, illam necesse est poni, quod secus hic fieri superiora exempla monstrant, & pluribus probari posset, si opus esset.

V.

Deinde Majestas dupliciter quoque accipitur à *Besold. lib. 1. Pol. c. 2. Christian. Matth. lib. 13. Pol. ex. 2. f. 1. Kirchner. disp. 2. de rep. thes. 2.* & aliis recentioribus Politicis. 1. Pro Majestate Reali. 2. Pro Personali. Illam dicunt, quæ ipsi reip. perpetuò inhæret, & ipsi est coæva, nec per decessum principis expirat, sed quamdiu corpus reip. durat, permanet, & etiam sub interregnis & alterationibus persistit, quam aliàs fundamentum reip. appellare liceat. Hanc verò quæ personam principis respicit, in quam collata est, cum quâ concidit, & ex quâ in aliam personam transferri potest; Quam nos hoc loco, si authorum illorum sententiæ standum sit, intellectam volumus.

VI.

Veruntamen, si quod res est eloqui liceat, non mihi videntur distinctæ esse majestates, personalis & realis, prout hoc modò jam explicatæ fuerunt, i. enim non opponuntur inter se esse personale & reale, nam nos talem hic personam quærimus, quæ realem non autem nominalem aut larvatam consequatur

quatur majestatem. 2. Vel ipsi concedunt, in democratiâ personalem & realem coincidere. 3. Sic argumentor. Potestas quam accipit Princeps, à populo, aut est plenaria, aut limitata; si limitata. e. nullam majestatem consequitur, quia Majestas, uti mox definietur, est absoluta potestas, e. nec personalem, nisi fortè per personalem æquivocam illam intelligant, quod tamen nolunt. Si plenariam, e. totalem, e. realem, e. omnem accipit, ità, ut nulla penes populum remaneat, nisi in una numero rep. duo summa, duas Majestas absurdè statuere velis.

VII.

Sed quid coegerit eos, ut hanc distinctionem excogitent, aliud nil video, nisi quia animadverterent emortuo principi vel eo cui summa rerum potestas commissa erat, penes Remp. nihilò tamen minus remanere potestatem eandem, ità ut alii eam rursus committere possit resp. existimarunt perpetuam illam, & uti loquuntur reip. eorum esse; quam tamen ego existimo potius abfuisse à rep. quamdiu eam habuit princeps, & extincto principe ad Remp. rursus rediisse. Disting. e. inter potestatem, quæ Cumulativè & quæ abdicativè conferitur in principem. Illa non plena sed divisa est potestas, non e. Majestas; hanc in principem statuere esse translata, & nihilominus remanere apud populum, est sibi contradicere.

VIII.

Tertiò, Majestas dicitur tam DIVINA, quæ ad DEum Opt. Max. ejusque cognitionem ac cultum seu religionem, refertur, de quâ quomodò violetur, quæ item violaterib. constituta poena, legatur apud Zepper. de ll. Mosaic. lib. 4. c. 8. Damhoud. in pr. crim. c. 61. Menoch. de arbitr. jud. quæst. 375. l. 2. cent. 4. & alios; quàm Humana, quæ homines concernit, variisque indigitari solet nominibus, utpotè superioritatis, supremæ jurisdictiones plenitudinis potestatis, & sæpissimè absolutæ potesta-

potestatis, *Bornit. de jur. Maj. c. 1. & 4.* De illâ tamen in præ-
senti nihil. Hanc definimus, summam ac perpetuam, eamque
ll. solutam in Republ. potestatem.

IX.

Potestatis verbo, quod vicem generis obtinet, licet plu-
ra significantur, uti apparet ex *l. 215. de V. S.* pro jure tamen in
alium sibi subiectum hic accipitur, quâ ratione in publicam
& privatam, illaque iterum in legitimam quæ magistratibus
(qui Jctis ac Politicis instrumenta dicuntur, per quæ summa
potestas imperium suum exequitur, & potestate gaudent com-
municatâ) & absolutam quæ Majestati propria, & jam defini-
ta, dispescitur à *Vult. in Jurispr. Rom. lib. 2. c. 11. 12.*

X.

Summa dicitur illa potestas, eò quod suprâ se nullam
aliam agnoscat. Ea enim est summæ potestatis natura, ut
superiorem agnoscere sine implicatione contradictionis non
possit, suprâ enim quod aliquid superius est, id certè summum
non est, uti *Averr. disput. Met. 5.* ad summitatem Dei osten-
dendam argumentatur. Quod autem summum est, id quoque
æquale non habet, sed unum est, ut *Thom. part. 1. q. 11. art. 3.* ad
unitatem Dei ex infinitate ejus evincendam disputat. Nam
uti plura infinita non possunt dari, sicut probat *Scalig. exerc.*
359. s. 3. Francisc. Vales. in sacr. philosoph. c. 1. & præter hos Me-
taphysici, *Javellus lib. 12. Metaph. q. 21. & q. 29. Suarez. & alij,*
itâ neque duò æquè summa. Ratio dictorum ex defini-
tione quoque reip. (quæ Majestatis, ut infrâ videbimus,
adæquatam subiectam est) manifesta est: Definitur enim
illa ab *Aristot. 3. Pol. c. 6. & 4. Pol. c. 1. τάξις πό-
λεως, τῶν τε ἄλλων δεχῶν, καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων,*
ordo civitatis &c. In ordine autem non sit processus in
infini-

infinitum, sed necessario tandem oportet devenire ad ali-
quod primum, quo nil in isto genere prius, & supremum,
quo nil superius, id in hoc genere imperantium & parentium
est Majestas, *Conf. Arnif. de jur. Maj. t. 1. c. 3. num. 1.*

XI.

Talem e. potentiam habet Majestas, eaque uti dixi, ab-
soluta vocari consuevit. Quod intelligendum esse in eo-
dem genere potestatis, nimirum in ordine finitarum poten-
tiarum, quis non videt? Nam ceteroquin ne ipsius quidem
Dei potentia omnis absoluta est, sed & quaedam ordinata,
qua non potest omnia, quae habent rationem factibilitatis, uti
loquuntur Scholastici Dd. habito videlicet respectu ad ali-
quod attributum divinum, vel ad communem cursum causa-
rum secundarum.

XII.

Ab hac potentia proculdubio est, quod Imperatores,
Reges, Principes, aliique quibus competit Majestas, titulos
hosce sibi attribuant. Nos Deorum providentia, uti Rom.
olim Imp. Nos Dei gratia, *Wir von Gottes Gnaden/*
iis enim, quin solius Dei gratia & Majestatis sese subjiciant,
quin id quoque recte faciant, ambigi non potest. Certum
namque est, quicumque Majestatem plenam habet, sive is eam
per consensum populi, h: vel electionem vel successionem,
sive jure belli, vel alio quovis legitimo modo acquisivit, is
superiorem nullam potestatem praeter DEUM authorem na-
turae, & naturam ipsam agnoscit. Unde Imp. Rom pas-
sim profitentur Imperium sibi traditum a Majestate coelesti,
& DEUM omne Imperium constituere, secundum illud
Rom. 13. Non est potestas nisi a Deo, Vid. Nov. 83. c. 1. & h. 1. c.
de vet. jur. enucl.

Ex

XIII.

Ex hisce suâ spontè fuit, quod potestas illa sit à superiori potestate & consequenter à ll. libera. Nam quid manifestius quam quod summum est, supra id nil poni posse, supra autem quod nil poni potest, id plenam habet Majestatem, propter hanc autem solutum est à ll. Adeò ut huc inter se converti ac reciproca esse statuamus, Majestatem habere, summam & legib. solutam potestatem, superiorem non recognoscere. Est namque legis virtus imperare, vitare, permittere, punire, l. 7. ff. de ll. inde dicitur virtus armata Senecæ, itaque à vi aliquâ superiore illam armari necesse est, alioquin merito explodenda & sibilis excipienda, ut lex leporum quam in leones tulerunt, quemadmodum fabula habet Antisthenis apud *Arist. 3. Polit. 13.* Atqui Majestas, uti jam dictum, superiorem nullam agnoscit potentiam, e. nec leges. quæ sunt scita superioris potentia, quib. in officio continentur qui id suâ spontè facere recusant, c. *facta dist. 4. l. 1. de 7. & 7.* Uti adpareat nõ necessariũ suscipere laborem & actum agere, Politicorum quosdam, qui tribuentes Principi aut cuiusvis reipublicæ liberæ summam potestatem, nihilominus infinitas ferme rationes & auctoritates, dicta sacra ac profana ad probandum principem esse legibus solutum coarcent, sicuti & alios insigniter errare ac multis sese difficultatibus immergere, qui non determinantes Majestatis verum subjectum circa Principem aut Regem, cui soli Majestatem tribuunt, multa intricatè ac impeditè disputant.

XIII.

Nos, uti rem planius multò ac verius tradi posse, constituto adæquato ejus subjecto, quod hic non Rex vel Princeps est, sed qualibet Resp. perfecta, censemus; ita superius argumentum vel solum fidem nob. facere posse, omninò arbitramur. Si tamen plura quis requirit, inveniet obvia ubilibet apud Politicos, cum nemo fermè hanc quæstionem non tractet. Unicum nihilominus adhuc, quia nob. mirificè placet, & prius illud explicat, ex *Arnis. de jur. Mai. l. 1. c. 3. num. 6.* Collectum huc transcribemus, In hanc enim sententiam ille:

B

Quia

Quia potestas in suâ Rep. summa est, nullis positivis legibus
(nam de his omnis sermo instituitur) in eâ latis cogi potest;
Nam leges erunt in eam latæ aut à superiori, aut à subditis, aut
seipsâ. Atqui primum esse nequit, quia superior nullus datur;
nec secundum, quia absurdum imò contradictorium est, si sub-
diti, qui accipere debent leges, eas dent; nec denique tertium,
quia nemo seipsum cogere, aut in seipsum agere potest, cum
violenta actio Principium semper requirat externum.
3. Eth. 1.

XV.

Cæterùm non de omnibus indiscretim ll. hoc acceptan-
dum esse modò dixi, & ratio ipsa dicitur. Nam legibus divi-
nis & naturæ quarum respectu adhuc civis & subditus est, qui
Majestatem habet, *Petr. de Ancl. de Imper. Rom. lib. 2. cap. 17.* non
minus ac reliqui cives obtemperare cogitur. Nam Deus condi-
tor & auctor naturæ est, uti ait *Lud. Molina de J. & J. tom. 6. tr. 5. disp.*
46. num. 14. & docuit jus naturale angelos & homines, lumine natura-
li intellectus illis indito. Item; Deus qui cuncta suaviter disponit, ve-
luti naturæ auctor impressit mentibus nostris lumen, per quod legem ejus
æternam participantes, actiones nostras ad debitum finem, quò suapte na-
turâ feruntur, dirigeremus. *Dominic. à Soto lib. 1. de just. & J. q. 4. art. 7.*
Proindè à peccato excusari nequit *Cambyfes*, qui sorore in-
matrimonium ductâ naturæ ac Dei legem violavit; nec à turpi
adulatione consiliariis ejus, qui percontanti eum quæ rex sit,
quæ sinat volentem cum sorore matrimonium contrahere,
responderunt, nullam se apud *Persas* quid, invenire legem quæ
id sinat, quandam tamen invenire, quâ licet *Persarum Regi* fa-
cere quicquid libeat. *Herod. Thalia.* Sic nec *C. Caligula*, qui so-
roribus supra iaculit, exque unâ etiam natam filiam cognov-
it, *Eutrop. lib. 7.* ab immani scelere ob licentiam vindicari
potest.

XVI.

Solis itaque legibus positivis quas scriptas vocant, seu
quasi ipsa in Rep. tulit, absolvitur Majestas, idque quoad neces-
sitatem & coactionem seu legum vim coactivam, licet quoad
honestatē

honestatem & legum vim directivam digna sit vox Majestate,
regnantis illi se alligatum profiteri. *l. 2. C. de ll.* Nam cum non sit
Rex vel alius aliquis in Rep. perfectè regnans, nisi vir bonus &
qui ex præscripto rationis ac virtutis imperat, sicuti alibi do-
cetur, propterea non quod licet, sed quod honestum est, sequi
tenetur, licentiamque suam legibus alligare, hoc enim magis
commendat principem, si de suo jure recedens, cum possit o-
mnia sola sibi licere credat laudanda, uti & de seipso Theoda-
hadus Rex apud *Cassiodor. lib. 10. cap. 10.* inquit. Quod si fece-
rit, præter infinita emolumenta alia, hæc potissimum conse-
quetur ut & populum sui habeat amantem, & talem qualis ipse
est, nempe probum, quippe

*Nemo suos hæc est aula natura potentis
Sed Domini mores, Casareanus habet. Mart.*

Et sic diuturnius imperium; & divinam Majestatem sibi pro-
pitiam, quæ non patitur quenquam frustra aut bonum aut
malum esse, quin illum innumeris præmiis, hunc atrocibus
pœnis afficere solet, uti testatur præter sacram paginam, etiam
Seneca in Thyeste hisce versibus.

*Quicquid à vobis minor expavescit,
Major hoc vobis Dominus minatur,
Omne sub Regno graviore Regnum est.
Si genus humanum, & mortalia temnitis
arma,
At sperate Deum, memorem fandi atq;
nefandi.*

XVII.

Fallitur ergò hic oppidò *Georg. Buchan.* qui in *Dialog. de*
B 2 *jure*

jure regni apud Scotos, inventas ait leges ad coercendos Reges, & in ordinem a subditis cogendos; falluntur reliqui jurati Majestatis hostes, Brut. in vind. contr. tyrann. Bucher. de abdicat. Henr. 3. Rossaeus de justia reip. in Reg. author. Hoteman. in Francog. falluntur denique omnes & Majestatis rei sunt, qui hosce sequuntur, Henon. Alibus. Timpl. & si qui plures sunt, qui ex natura constituentis & constituti, item quod Reges sint creati propter populum, non hic propter illos, & aliis ficulneis ac stramineis argumentis inducti, populum Majestati praeferunt, eamque ejus pedibus conculeandam plane subjiciunt. Nam non omnis constituens prior est constituto, cum aliud sit infra se constituere aliquem, qui constituyente est inferior, aliud supra se, qui si totam potestatem accipit, superior est, ut ait Arnif. lib. 1. de jur. Majest. cap. 3. num. 2. Nec omnis qui propter alium est, ipso statim inferior est dicendus, aliud enim est praefici alicui ut Dominum, aliud subjici ut servum, dicente eod. ibid. Confer. Remkingo de reg. secul. & eccles. lib. 1. cl. 5. c. 9. n. 16.

XVIII.

Nec minus in errore versantur ii qui caducariis duotaxat legibus. Julia & Papiâ, de quibus legem Princeps ff. de ll. conceptam saltem aiunt, solutam Majestatem asserunt, ut Cujac. lib. 5. observ. c. 30. & Henric. Stephan. in Musâ monitr. Princip. asmate seu carm. 33. Item qui legum solemnibus tantum, ut Donell. lib. 1. com. c. 17. Borcholt. Inst. quib. modis testam. infirm. & rursus Steph. eod. asin. quod omnino vid. & alii, quos prolixè refutatos vide apud Arnif. cit. loco.

XIX.

Confectaria ex hisce quod Majestatem legibus solvimus, hæc præcipua deducuntur. Primum est, quod non solum iis soluta sit, sed ne teneatur quid. Secundum ex hoc fluit, quod in judicium, nisi solius Dei, vocari nequeat. Tertium quod ab illâ non detur appellatio. Quartum, quod in illam solam committatur crimen læsæ Majestatis, non in prætorem, l. si familia ff. de jurid. nisi abusive, Clapm. de arc. rer. l. 2. c. 9. nec in consiliarios nisi participativè ac dependenter, imò impropiè.

Nam

Nam quo quis modo habet majestatem, eo quoque & non alio in ipso laedi potest. Quintum, quod is qui quocunque modo aliquid supra se agnoscit cui vel sponte se submittit, vel cui parere necesse habet, ab absolutâ ac perfectâ Majestate, tantum discedat, quantum alterius imperio tenetur, *Arnis. lib. 6. de jur. M. 6. 4. n. 1.*

XX.

Et primum quidem qui potentiam in suâ rep. summam habent, ab alio tamen titulos Regios aut Imperatorios petunt acq. emendicantur, quod fecisse *Uladislaum 1. Polonia Regem Crom. lib. 5. Chron. Pol. refert, qui regio titulo abstinebat, ad Papam pertinere ratus ut regium Diadema conferret; & alios alii: Peccant sanè ac majestati suæ multum detrahunt, nec quantum sibi licet, perpendunt; nam à quo dignitatem ab eo etiam per consequ. potestatem petunt, & sic alterius potentiz & arbitrio semet subjiciunt. At scire debebant, quod jure communi obtineri poterit, frustra ab alio peti, l. imperatores ff. de reb. ante jud. Rectius multo Præmislaus qui non expectatâ Pontificis autoritate, cum summam in se potestatem transtulisset, regem se vocavit. Crom. l. 11. & Alexandri M. duces illi 4. cum extincto Alexandro regna inter se partiti essent, seipso Reges salutarunt. Justin. lib. 15.*

XXI.

Deinde multò plus majestati suæ derogant qui non se ipsos solum sed & successores suos aliorum quibus de jure subjeti non sunt, potestati mancipant, veluti Danorum Rex tunc temporis, cum *Friderico Imp. hisce verbis fidem daret: Rex Danorum Magnus se in potestatem Imp. tradidit, obsides dedit, juramentum fecit, se successoresq. suos non nisi imperatoris & successorum ejus permissu regnum adepturos Tritheim. c. 17. hist. Quin & illi majestatem suam ludibrio habent qui se in terram prostratos à Pontifice Rom. calcari permittunt, aut pedes ejus exoculari sufficiunt, aut equum, quo vehitur, per frenum ducunt, aut sellam, in quâ sedet, humeris suis portant, aut denique similes exhibent serviles ceteronias, quod fecisse olim Imp. multos testis est*

Platina in vit. Pontif. Baleus Angl. & plurimi alii; Quod quamquam ita sit, non tamen his qui id passi sunt, aut patiuntur, sua majestas plane deleta sed saltem obscurata fuit nec huic inde quaptiam vel majestatis, vel juris quod sibi in orbis Christiani principes nimiam sanè arroganter ac licenter, competere vult, accessio facta est.

XXII.

Sed id infra ubi de Rom. Pontifice agemus, An ei competat Majestas, & an in Principes Christianos secularis potestas, discutietur. Nunc hoc saltem demonstratum volumus, qui alterius sese gratiæ ac arbitratui subjiunt, eos tantum à verâ Majestate decedere, quantum id faciunt.

XXIII.

Can. Advertendum tamen hic est, ob honorem & dignitatem, cujus prerogativam alter alteri concedit, & concedere aliquando tenetur, neminem dici posse majestate minui. Non enim quia Imperator ordine dignitatis reliquos omnes Reges ac Principes antestat, idcirco illi suam majestatem amittunt. Nec quia Hispanorum legatus ad Senatum Polonicum missus, si post Gallicum dixisset, quanquam tacere maluit, *uti habet Bodin. lib. 1. de rep. c. 9.* regis sui majestati præjudicium ullum creasset. Nam Majestas, prout nos hic de illâ disputamus, consideratur non nisi in ipsâ rep. in ordine imperantium & parentium, ubi quilibet est supremus; non in alieno territorio, ubi Principi præfertur Princeps, i. Vel ob majorem potentiam, ac magis latè patens imperium, sicuti in Concilio quodam argumentabatur Hispanorum legatus adversus quendam alterius Regis legatum, qui cum Regis sui aliquantò minorem Hispani potentiâ nosset, ad obtinendum tamen priorem locum, præclara Regum suorum superiorum facinora, & arma peringentia longè lateque lata regna, prolixè enumerabat: atqui inquit, dicam tibi quid acciderit aliquando viatori cuidam, qui cum in itinere equus ejus quo vehebatur, insignis ac generosus, tandem longâ peregrinatione fessus, succumberet. ac jam vix animam traheret, supervenientem quendam cum alio

alio equo, sed villiori quàm hic fuerat, per omnia sacra rogatū
institit, ut secum permutatione factā, suum is equum quem
constabat olim tam generosum fuisse, reciperet, tradito ei suo;
id ab eo responsu tulit, tuus fuit, meus est. Sic meus Rex, ait
Hispanicus legatus, jam est potentior, tui olim fuere. Atqui
quis fuerit tam stupidus, ut huic cui minor erat potentiā, ma-
jestatem diminutam fuisse dicat? Absit enim (*verba sunt Ara-
nis, l. 1. de J. M. c. 1. n. 4.*) regiam potestatem indè æstimemus
quàm multis quis imperet, sed quàm liberè. Nec enim minus
Rex erat Emathion angustis inclusus pagis, *Just. n. lib. 7.* aut
cui uxor cibaria coquebat, *Herod. lib. 8.* aut Ulysses Ithacæ &
parvi scopuli Rex, de quo *Horat. 1. Ep. 7.*

*Non est aptus equis Ithaca locus, ut neq;
planis
Porrectus spatii, nec multa prodigus
herba.*

Aut illi fringilla & unus quos Josua percussit, *Jos. 12.* aut illi 70.
quos Adoni-besec devicit *Jud. 2.* quàm Alexander qui orien-
tem subegit, aut Artaxerxes cujus 127. provinciæ numerantur
in *Esth. 6. 2.* vel quivis alius Regum potentissimorum.

XXIV.

Deindè ob antiquitatem ac vetustatem Imperii. Sicut
olim plurimæ gentes sibi de antiquitate lites ac controversias
moverunt, hinc alii se *ἀρχαίους*, alii *πρωτογενεῖς*, alii Ab-
origines, alii *πρώτους τῶν ἀνθρώπων* appellabant. Fit
n. nescio quomodo, ut ex vetustate nobilitatem suam metian-
tur mortales, id quod in familiis nobilium hodiè cernere licet.
Nec aliam ob causam *Psammethicus Rex Ægyptiorum*, ut est in *pr.*
Euterpes Herodoti, cum incessisset ei cupido noscendū quinam primi ho-
minum exiissent, pueros duo, recens natos tradidit pastori inter pecora
educandos, ita ut nemo hominum coram eis vocem ullam ederet, nam quo-
rumcunq;

vumcung, illi hominum voces expressissent, eos pro vetustissimè mortuum se habiturum putabat; Stolidè quidem satis, quippe qui existimabat, voces à naturâ esse, & non potius ex instituto, seu ad placitum hominum, uti præter alios pulcherrimè id demonstrat *Francisc. Valles. in sacr. Philof. cap. 3.* Sed tamen hoc, uti dixi, idèò faciebat, ut si Ægyptiacas illi voces protulissent, Ægyptiorum hinc vetustas, & sic nobilitas seu præminencia colligeretur.

XXV.

Vel denique ob inveteratam ac longam aliquam consuetudinem, aut alias causas id accidere solet.

XXVI.

Quærerè hic solent, An qui in patrocinium ac clientelam aliorum se recipiunt, ex eo Majestatem amittant? Nos negativè tuemur *arg. l. non dubito, §. 1. ff. de capt. & poss. rev.* Hæc tamen adjectâ distinctione ac lege: si id faciant salvo suo jure. Nam cum Majestas, uti dictum, non sita sit in honore, quodam externo, nec in Imperii magnitudine, sed in libertate potentia in subditos, (præsupponimus autem semper perfectum reip. non vitiosum statum, qualis est in tyrannide) quamdiu hæc per clientelam non amittitur, tamdiu nec majestas diminuitur. Etenim non pugnant hæc duo esse in clientelâ alterius & dominari subditis suis absolutè, cum clientela illa regulariter nil aliud sit, quam quædam q. confœderatio aut pactum quo clientes Patronos Comites observare seu conservare, *d. l. non dubito, Cic. pro Balb. h.* sicut id rectè explicat *Arnif. de jur. M. l. 1. r. 4. n. 9.* Pro eorum salute & autoritate, quantum in se est facere, & quæ illi derogare videantur amoliri; hi contra patronorum officia clientibus præstare tenebantur. Tale autem pactum optimè cum Majestate stare potest: Estque antiquissimum & ante Romuli tempora non modo Græcis, sed & Celtis, Illyriis, Asiaticis, Ægyptiis usitatissimum, *Dion. Halic. lib. 2.* ut tenuiores à potentiorum vi & injuriis tutiores essent.

XXVII.

Sic multi reges, ac populi sese in fidem ac clientelam

Roma-

Romanorum dederunt, veluti Antiochus Asiae Rex, Nicomedes Bithyniae, Ptolomaeus Aegypti; item Parthi, Cartaginienses, Edui, & aliae gentes, de quibus consulantur *Liv. Halicarn. Dion. Cass. Tacitus & reliqui Rom. historiae scriptores*. Hi Majestatem suam non amiserunt, quin potius Reges, socii, atque amici à Pop. Rom. appellati fuere, *rv. lib. 31*. Quamquam nec dissimulandum pluribus modis in foedere Romanorum gentes fuisse; in universum v. tres à *Sigon. lib. 1. de antiq. jur. Ital. cap. 1*. constituuntur, quartum addit *Arnif. cit. l. n. 2*. Quarum gentium omnium non par erat conditio, infima tamen earum, quas in bello devictas in fidem iussis esse tributarias susceperunt Romani, quibus jure belli leges dederunt, & tributa imposuerunt, & magistratus seu praetores ex suis miserunt. Haec enim tantum abest, ut suam retinuerint Majestatem, ut etiam de praetorum iniquitate & in extorquendis tributis nimiam savitiam saepius apud Rom. miserè quaestum sint, cujus rei in *horolo. princip. Grev. l. 3. c. 3. 4. & 5*. elegans exemplum in pagano quodam Danubii accola, qui in curiam Rom. de nimia Censorum in sua patria à Rom. inibi constitutorum, iniquitate, acerbam quidem sed apprimè eruditam, gravi ac prudenti oratione quaestus est; Aurelianus Imperator recenset, *Vide plurib. Bod. lib. 1. de rep. cap. 7. Amplif. Dn. Arum, volum. 2. disc. 17. th. 19. Arnif. loc. cit. per tot.*

XXVIII.

Eodem modo nec majestatem eos putandum est amittere, qui annuam pensionem aliis solvunt, ne excursionibus regnorum suorum fines infestent. Nam Princeps semper sui officii memor, boni patrisfamilias personam sustinet, nullis parcendo sumptibus. damnum quod inevitabile avertat. *Richard. Dieter. de sum. Imper. por. th. 17*. Quod si majestas hinc detrimenti quid caperet, nec Turcarum Imperator, qui Regi Aethiopum ex veteri pacto pensionem 20000. nummorum solvere tenetur, *Mich. Eyzing. 1. part. paralip. Thesaur.* & illis quoque populis qui in montibus Arabiae habitant 60000. aureorum tribuit, ut agro Palustino & Damasceno liberè fruatur, *Bod. in meth.*

C

meth.

met. hist. c. 5. Imò nec noster Imperator, qui Turcarum Sultano pensionem mittit pacis fruendæ gratiâ, Majestatis particeps esset, quod tamen sanioribus Politicis non immeritò absurdum videri rectè scribit *Dieterus loc. cit.*

XXIX.

An verò qui à manu Domini feuda rēcipiunt, ex eo Majestatem perdant, controversum quoque est? Negamus itidem. Nam non rarò fit, sicuti communiter tradunt Feudistæ, ut superior feudum recognoscat ab inferiori, idque sine superioritatis ullâ diminutione, quemadmodum par à pari aut inferior à superiori accipere solet. Cujus rei exempla insignia non solum in secularibus. *Carol. V. Imperat. qui vasallus suis Regū Gallie ratione Flandriæ, Arrebatæ, & Hennigaw;* item Pontifici, nomine regni Neapolitanæ, Sicilia, &c. item Imperii respectu ducatus Mediolanensis, & Gelariæ. Regibus Angliæ qui se ecclesie Rom. Vasallos fecerunt anno 1212. Regibus Scotiæ qui Angliæ, Regibus Daniæ qui imperij nomine Holsatiæ excepto ducatu Slesvicensi, Vasallos se constituerunt; & aliis: Sed etiam Ecclesiasticis, Pontifice Rom. Archiepiscopi, Episcopi, Abbatibus, prælatis, imò monachi, habet Vult. lib. 1. de feud. cap. 4. n. 9. & 10. Vid. Arnif. lib. 1. de jur. M. C. 4. Kirchn. diff. 3. de rep. th. 6. & alii plures, quos ne modum thesaurum excedam, recensere superseco.

XXX.

Majestatem autem horum salvat diversus respectus. Aliter enim consideratur Persona aliqua ut Rex vel Princeps, & tunc habet respectum ad regnum vel principatum suum, aliter ut vasallus & sic refertur ad Dominum. Priori modo attenditur Persona ista conjuncta cum imperio suo, quod sine Majestatis diminutione ad præstanda servitia, ad quæ vasallus obligatur, astringi non potest; posteriori ab eo q. separata & per se ipsam considerata, & sic accipit feudum non qua Rex aut Princeps, sed quatenus vasallus.

XXXI.

Verùm hoc non obtinet de illis qui se vasallos, uti loquuntur, ligios, h: sine ulla ullius exceptione Dominis suis alligatos,

gatos, constituunt, aut qui ipsum regnum à quo Majestatem habent, fiducia nomine tenent, nam illi Majestatem suam amittere putandi sunt.

XXXII.

Hæc de iis qui se aliis extrâ suam Remp. subjiçunt, An & quousque Majestati suæ detrahant, vel non, attigisse paucis collibitum fuit; Cæterum cum non minus obtineat difficultatis de Principe in suo territorio considerato; Etenim nemo est Regum vel Principum qui non aliquo modo obligetur subditis suis, licet alii magis alii minus: Certè quemadmodum subditi Majestati jurare solent, se omnia Regis sui causa facturos, imò ne vitæ quid, si id ferat res ac necessitas, parsuros; ita è cõtrâ Rex, Princeps, aut alius summam habens potestatem, juramentum præstare solet, se omnibus sibi subjectis justitiam administraturum, proque illorum salute ac incolumitate vigilaturum, rei que ut summam dicam, publicæ finem, qui in beatitudine civili consistit, summâ ope promoturum, De hoc e. deinceps nob. dispiciendum erit.

XXXIII.

Queritur e. non incommodè, An Princeps ita se obligans Reip. Majestati suæ derogare censendus sit? Quanquam autem initio ita videri possit, quoniam Princeps per successionem populo agnatus, eo ipso jus in ipsum omne consequatur adeò ut hoc etiam antè coronationem seu solennem inaugurationem obtinere statuunt Politicorum haud infimi, imò hoc in Gallis certissimi juris esse velint; itaque nisi ad id propriâ moveatur animi benignitate, ad jurandum teneri nõ videtur. Per electionem autem constitutus, id multò minus facere debere censetur, partim quod idem in illo post factam ac confirmatam electionem atque in priori verum sit, ut jura sua etiam antè præstitum juramentum sortiatur, quod in Imp. Rom. ex *constit. Ludovici Bavari* obtinet, *gl. in extrav. quom. in crim. les. Maj. proced. in verbo Regis*. Partim quod antequàm eligeretur, ejus fides, integritas, sapientia, ac naturæ bonitas dudum perspecta præsumuntur. Atqui bono viro etiam injurato credendum

Vin. in Aug. de civit. D. lib. 8. c. 12. & tantum valere debet ad fidem Principum verbum, quantum privatorum hominum jusjurandum, ut dixit verissime Alphonsus Neapolit. Rex; Panorm. lib. 1. de dict. & fact. Alph. apoph. 59. Nam si Xenocrati Philosopho Athenico si universi judices adsurrexerunt, jusjurandumque dicere veruerunt, quod ejus sinceritatem jam nossent, Drog. laert. in Xenocr. Si Scipionis Africani virtutem magis respexerunt Romani, quam Navi tribuni accusationem, quod illum ad obiecta crimina nil aliud respondentem quam hoc (Memoria repeto quirites diem esse hodiernum quo Annibalem Pœnum irei in terrâ Africâ, pacemque & victoriam vel peperi insperabilem; Non igitur simus adversum Deum ingrati, & centeo relinquamus nebulonem hunc, eamusque tunc protinus Jovi Opt. Max. gratulatum) continuò in capitolium relicto tribuno, comitati, & inde ad ades ejus gratulabundi consecuti sunt, Gell. lib. 4. n. 4. c. 17. Val. Max. lib. 3. c. 7. Quanto hoc magis in principe, cui vitam, salutem, & omnia nostra commisimus, locum habere debet?

XXXIV.

Quod etsi ita verum sit, tamen subditorum nonnulli tam abjectè de principib. suis sentiunt, ut sine juramento eis fidem non habeant, eoque incitati fuisse videntur, per fraudem ac malitiam nonnullorum Principum qui libertate suâ in perniciem ac detrimentum reip. abusi sunt. Plerumque enim cui plus licet quam par est, plus vult quam licet, ut habet *P. Mimi sententia apud Gell. lib. 17. c. 14.* Itaque hoc pacto novus iste modus per jusjurandum Principes in officio continendi, introductus videtur.

XXXV.

Cum autem juramentum non unum sit, non uno etiam modo obligatur Princeps. Aliter enim & multo fortius se ligat, cum in leges reip. quas fundamentales vocant, ita jurare cogitur, ut non solum immunitates, privilegia, ac leges, &c. servaturum promittit, sed etiam clausulas addit, per quas legibus ita semet subjicit, ut iis adversum ipsam à subditis coram sena-

tu experiri liceat, si injuriâ affecti ab ipso fuerint: aut si juramentum violet, omnem mox ipsi obedientiam renuncient cives; aut alio denique modo aut pacto potestati suæ limites ponit.

XXXVI.

Quandocunque id facit Princeps, tum Majestatem suam minuit, nec id à quoquam sanæ mentis in dubium vocari potest. Ità jurabat Steph. Batori Polonis. *Si iurandum in aliquibus viol. vero, nullam mihi regni incolæ omniumq; Dominorum uniuscujusq; gentis obedientiam præstare debent: imò ipso facto eos ab omni fide atq; obedientia Regi debita liberos facio, absolutionem nullam ab hoc juramento meo à quoquam petam, neq; ultrò oblatam suscipiam. Sic me Deus adjuvet.* Chytr. lib. 23. Sax. Haud aliter Carolus V. per legatos suos: antequam ei imperium traderetur, jurare coactus fuit, de quo præter alios vid. Sleid. lib. 1. de stat. rel. & reip. ubi inter cætera & hoc habetur certissimum potestatis restrictæ argumentum: *Quod si quam habeat, actionem in aliquem ordinem, legibus experiri jubeatur, vim autem nullam adhibere possit in qui se legitima cognitioni sistunt, nominem indictæ causa proscribat, sed juri ordinem in eo sequi tenetur.* Hærum imperium uti & aliorum qui istum in modum jurare coguntur, an sit pure Monarchicum, an verò magis Aristocraticum, nunc non disputabimus, id certum est, Regem cui ex pacto tali summa committitur imperii ubi pactum semel initum non servat, ad exemplum Adolphi & Wenceslai Imp. (de quib. Avent. lib. 7. Ann. Boi.) de poni ac removeri posse, Vid. Arnif. lib. 1. de jur. Majest. cap. 6. num. 116 & 12.

XXXVII.

Deindè aliter jurat cum ad honestatem saltem se obligat, & hic Princeps, quia absolutam & non limitatam sortitus potestatem, spontè & non coactus id jurejurando interposito, ad quod ex officio tenebatur, ut populus de ejus voluntate minus dubitet, plenius confirmat, Arnif. d. loc. num. 4. Sic omnes Reges ac Principes suis subditis jurant, se justè regnuros, æquitatem ac misericordiam administraturos. Tale juramentum

Car. 3

rum Reges Suecorum subditis suis præstant, se Deum ac sanctam ecclesiam dilecturos, æquitatem ac veritatem conservaturos, iniquitatem omnem depulsuros, &c. idque non solum legum, sed & regali suâ potestate, *hadhe mede rätt / oeh konungzligo walde sino. Landslagh / tit. 1. vel konungsbalker / c. 4.* Ut erret *Chytr. l. 2. Sax.* & hunc sequens *Arnif.* qui postquam exempla aliqua nimium restrictæ potestatis enumerasset, subjicit *d. l. n. 11.* *Sveci* dvrioribus adhuc vinculu innectunt Reges istos, quibus nec edicta proponere, nec tributum indicere, nec quem in carcerem conicere licet, nisi jussu & autoritate senatus, nec privilegia tribuere, nec bellum indicere, nec præfecturæ aliâ quàm senatoribus concedere, nec omnino quicquam ex autoritate propria decernere. Nam quod hæc omnia sint falsissima, vel formula juramenti inspecta liquidem reddere potest; Constat illa 7. articulis, nec istorum ullo de jussu senatus, multò minus de pacto aut clausulâ quâ sibi, ut superiores faciunt Reges, terminos figit. Nam quod in *art. 4.* jurat se cum consilio senatus regnum administraturum, aut in *6.* nullis se novis exactionibus regnum exhausturum, & quæ talia sequuntur, quid hæc ad coactionem, aut jussum quidquam, uti vult *Arnif.* ait? Est sanè, haud inferior, senatus autoritas maxima, sed talis qualis in regno Galliæ, Hispaniæ, Angliæ. In Galliis, referente *Hotomanno lib. 1. de antiq. jur. Gall. cap. 23.* Prima lex est, ut ne quid quod ad statum Reip. in universum pertinet, Regi sine publici consilii autoritate quidquam statuere liceat. In Angliæ & Hispaniarum, utroque regno conciliorum & conventuum maxima est autoritas. Quæ tamen regna præter *Buchananum, Hotomannum,* & reliquos ejusdem farinae qui omnes omnino Reges in ordinem redactos volunt, nemo ex Monarchiarum numero eximit. Nam, non omnis mistio reip. mutat formam; & quia Reges volentibus utuntur subditis, æquum est, ut de consilio universorum & imprimis, eorum qui præ suâ prudentiâ statum imperij rectius cognoscunt, (quia plus vident oculi quam oculus) regnum administrant. Cum tali autem indulgentiâ, regia autoritas salva adhuc stare potest, uti res & *Boëd. lib. 1. de rep. c. 8.*

Aliud

XXXVIII.

Aliud denique juramentum est, quando se Christianam religionem, pietatem ac sanctitatem servaturum, & ecclesiam Christi ab omni hostium persecutione defensurum jurat. Et hoc tantum abest, ut ejus Majestatem minuat, ut etiam à quolibet verè Christiano Principe, licet absolutissimæ sit potentiz, præstari debeat. *l. boni Principi dist. 96. & alibi.*

XXXIX.

Cæterùm hoc nunc quidem ità liquidum esse reor; antequam autem ad reliqua positæ definitionis verba explicanda vos conferamus, ad huc querere lubet, An ita absoluta sit Majestatis potestas, ut nec successor antecessoris decretis, legibus & promissis obligari queat? Nam quamvis certum sit, Majestatem nullis omninò legibus teneri, & in successorem eadem potentia translata sit, quæ fuit in antecessore, *par autem in patrem non habeat imperium, l. ille à quo. §. tempest. ad Sct. Trebell.* Rationes tamen dubitandi haud leves dari possunt, ab iis quibus diversum sentire lubet.

XL.

Etenim cum omnis boni Principis munus sit, tueri Rempublicam suam, eamque salvam, florentem, ac beatam reddere, isti fini acquirendo leges quam optimas hinc reip. convenientes, quæ sint ejus anima, mens, ac vinculum, condere debet. Nam quamquam initio Reges vi ac potestate, non jure & Il. omnia gubernarent, uti ex *Justin. lib. 1. pater*, Populus nullis tenebatur legibus, arbitria Principum pro legibus erant; eòdemque referri videtur, quod in *l. de orig. Jur. ait Pompon.* Initio civitatis Rom. manu regià omnia gubernabantur. Attamen utilius deinde visum leges condi, undè cives & quid summæ potestati placeret, & quid in rem reip. futurum esset, nosset, & simul etiam magistratui norma præscriberetur, à quâ in jure civibus reddendo, quàm fieri posset, minimum deflecteret. Atqui nihil magis societatem civilem labefactat & convellit, quàm si leges semel latas pro arbitrio cuilibet successori mutare liceat, & priorum acta rescindere, id quod cum per se est manifestum.

cum

tum exemplis, si opus fuerit, plurimis ostendi posset, adeo ut etiam compertum sit, tutius eos degere, qui iisdem legibus etiam malis utantur, constanter, eodem modo Remp. capessunt, quam qui mutationibus gaudent *Thucyd. lib. 3.* Quod & propterea verum est, quia sic concordia stabilitur, autoritas magistratus & multa bene constituta in pretio & vigore sunt; quibus non obtemperandi perniciosa consuetudo per occasionem licentiae mutandi leges si irreperit, iam de rep. actum esse quis non videt? Quod autem de legibus dicitur, id de reliquis Principum factis, promissis, donationibus &c. usurpari quoque posse videtur.

XLI.

Hoc & simili modo argumentari possunt, qui teneri volunt successorem legibus & pactis antecessorum, qui etsi non usquequaque inconvenientia dicant, sed quae ad reip. stabilitionem fortè aliquid facere possunt; non tamen omnia & distinctè dicunt; in iis enim Propositionibus in quibus est multum & non unum accipere, distincta distinctim tractanda sunt, sicut Philosophi.

XLII.

Itaque pro decisione quaestionis repetimus *primò* distinctionem inter successores qui plenam Majestatem utuntur, & eos qui ex pacto regnum adeunt; Neutros dico antecessorum decretis teneri ex necessitate, seu quia successorum potestas illos liget, propter rationem sup. datam, nimirum quia aequalibus, nemo imperare potest. Hinc est, quod edicta, aut privilegia, mortuo Principe, vim suam ac robur perdant, nisi successoris autoritate vel tacito consensu confirmentur atque approbentur. *Dn. Aram. vol. 1. disc. 6. p. m. 31. Rich. Diet. disc. de sum. imp. pot. ib. 38. & seqq.* Quare cum *Barolus ad Carolum IV.* legatus esset, ut *Perusinae civitatis privilegia confirmarentur*, obtinuit illud quidem sed ea conditione, ut tamdiu vim habeant, quoad à posteris Imp. revocarentur; quibus etiam si clausula subjecta non fuisset, praedictum nullum creati potuisset. *Bod. de rep. c. 8. n. 85.*

XLIII.

Hi ergo quia fortè cum subditis ità pati sint, superiorum facta servant; illi vero quia publica id suadet utilitas propter quam quilibet potius faciendum aut tolerandum, quàm quæ lata sunt autè, rescindendum; vel quia divina & naturalia id iura exigunt, quanquam propter salutem populi & reip. quæ suprema lex esse debet, ad vitandum majus malum tolerari solet aliquandò nonnihil quod legem divinam aut honestatem non directò oppugnat quidem, ab iis tamen nonnihil desistere videtur. Quemadmodum enim lex humana facere potest, ut aliquid non puniatur, quod suâ naturâ malum est, si nimirum mores, civium & reip. status id exposcat, uti concubinitas, lupanaria publica, usuræ, deceptiones ultrà dimidium, & id genus alia, ità etiam facere potest, ut retineatur ejusmodi, De quo vid. Lud. Mol. de J. & J. tom. 6. tr. 5. dist. 46. n. 26.

XLIV.

Deinde dist. inter decreta antecessoris quæ rem ac dignitatem spectant publicam, & quæ privatam tantùm principis personam respiciunt. Illa si benè constituta sint, tantùm abest ut à successore abroganda sint, ut etiam si nulla talia sint, ipse tamen pro suo munere quid in rem atq; commodum reip. sit, sculò dispicere debeat.

XLV.

Hinc è converso, non licet antecessori successoris sui conditionem, quantum ad Remp. attinet, deteriorem facere, sicuti donationes reip. detrimentosæ, & alia quæ in grave ac notabile regni præjudicium cedunt, ipso jure nulla censentur, & à successoribus retractari possunt, Lud. Molina de J. & J. tom. 1. tr. 2. dist. 25. n. 3, qui & hanc addit rationem: Quoniam Rex comparatione bonorum regni est q. administrator, bona namq; Corona regni suo modo sunt vinculata, & à Rep. Regibus concessa ad defensionem & administrationem reip. & non ut in regni ac reip. detrimentum dilapidentur, Hactenus Molina.

XLVI.

Ità Carolo V. inter alia & hoc ad jürandum propositum
D fuit,

fuit, uti est apud Sleid. lib. 7. de stat. Facultates imperii neq; distrabatur
 neq; oppignoret, nec alio quovis modo deteriores faciat. & quæ sunt ab aliis
 nationibus occupata, vel ab imperio divulsa bona, primo quoq; tempore
 recuperet. Sic in ll. Suecorum Municipal. seu uti vocant, legi-
 sterio, vulgò Landslagh tit. 1. c. 2. § 1. habentur hæc verba veteri
 Suecorum linguâ. Enkte af tæffom sörnemdom mä konun-
 ger minsta för androm konunge / gör tet någor konunger /
 åge lå ten konunger eptir kommer / waldh tet åter falla
 och taga / om han gitter / h: Nihil horum iam dictorum, (videli-
 cet bonorum Coronæ, & aliorum de quib. pr. cap. loquebatur)
 rex imminuat successori, quod si fecerit, revocare tenetur id ac rescindere
 successor si potest.

XLVII.

In his verò quæ personam Principis propriam spectant,
 sive fiseum ejus sive aliud quid ipsi proprium concernant, po-
 test Princeps disponere pro lubitu, ità tamen ut videat, ne resp.
 quid detrimenti capiat.

XLVIII.

Sed de absoluto Principe quoad honestatem saltem, de
 pactionato etiam quoad necessitatem hæc dicta esse ex præce-
 dentibus manifestum est. Quamquam hic quoque id semel
 adnotasse ac inculcasse sufficiat; uti non impedit libertatem
 arbitrii, quod nemo sit Dominus vitæ ac membrorum suorum,
 Mol. de J. & J. tom. 4. tit. 3. disp. 1. Thom. 22. q. 64. art. 5. vel uti non
 tollit omnipotentiam Dei, quod Deus facere non potest, ea
 quæ mala sunt, seu quæ in se rationem non entis includunt, uti
 disputat Thom. 2. contr. gent. c. 22. & 1. part. q. 25. art. 3. qualia sunt
 hæc, sibi mortem consciscere si velit, quod, uti ait Plin. lib. 1. hist.
 natur. c. 7. homini dedit optimum in tantis vitæ pœnis, aut fa-
 cere ut qui vixit, non vixerit, qui honores gessit, non gesserit,
 aut bis dena non sint 20, aut similia quæ impotentiam non po-
 tentiam arguunt: Ità Majestatem vel potentiam non tollit,
 sed impotentiam magis arguit, si penes ipsum foret, imperium
 diminueret ullâ ratione; Diminutio quippe talis malum quid
 est.

est, omne autem malum causam habet deficientem non effici-
cientem. *Aug. lib. 12. c. 7. de civit. D. Conf. Arnif. de Jur. M. lib. 1. c. 7.*
Bod. lib. 1. de rep. c. 8. num 85. 87. 105. & seqq. Tholof. 7. de rep. c. 20. n. 13.
& seqq.

XLIX.

Sed ut eò, undè tamdiu evagati sumus, revertamur, sub-
jicitur præterea in definitione Majestatis, quod sit perpetua il-
la summa potestas. Perpetua potestas est quæ nullo temporis
spatio terminatur, sed cum Imperante oritur, cumque eo mo-
ritur. *Richard. Diet. disc. de sum. Imp. vot. th. 18. Arum. vol. 2. disc. 17.*
thes. 21. Itaque quibus ad breve aliquod tempus tribuitur,
Majestatem illi propriè absolutam non habent, sed ejus potius
q. curatelam, atque propterea Majestatis custodes, & reip. cu-
ratores, seu administratores rectius dicendi sunt. *Bod. l. 1. de rep.*
c. 8. n. 79. 80.

L.

Exempla talis Majestatis in Prytane apud Rhodios, Beo-
tarcho apud Beotos, Mediastico apud Campanos, Suffete
apud Pœnos, Archonte apud Athenienses, Thessalos, & Meli-
tenses, Armosta apud Lacedæmonios, suppeditat *Dion. Halicarn.*
Adde Balam Florentinorum, & Regentes Regni dictos Gallo-
rum, cum *Bodino, lib. 1. de rep. c. 8. n. 79.*

LI.

Quibus etiam Romani Dictatores non immeritò accen-
sentur, qui tum demum creati soliti sunt, quãdò in sperato ali-
quo necessitatis casu afflictæ erat resp. utpotè seditionis ac
motuum intestinorum sedandorum causâ, belli externi &c.
l. 2. §. 18. ff. de O. 1. liv. lib. 2. Halic. lib. 5. & 6. Florus lib. 1. c. 11. & aliis.
Nam illi ut ingruente periculo communi creabantur, ità eo-
dem depulso, magistratu se abdicabant, nec licuit ultrâ 6. men-
ses Dictaturam gerere, *d. l. 18. l. un. de off. præf. prætor.* Nec obita-
re quidquam video, quin de consulibus Romanis idem quoque
dicendum sit.

LII.

Patet hinc, nec ei qui in 10. aut plures annos imperium
adeptus est, Majestatem competere.

LIII.

Quid verò statuendum, si alicui populus supremam potestatem quoad vixerit, largiatur, an is obtineat Majestatem, nec ne? Subsistere se ait *Bodinus* cit. loco, & distinguit inter potestatem illam sine appellatione legati, aut rectoris aut curatoris, quam dicit, esse majestatem; & inter potestatem cum certâ appellatione alterutrius horum, quam negat esse. Nos simpliciter obtinere potius asseveramus.

LIV.

Ultimò additur in definitione nostrâ, quod Majestas Reip. sit potestas. Resp. enim (ut eò tandem deveniamus) adæquatam Majestatis est subjectum, itaque omni perfecta Reip. (cujus tres saltem species veras, Monarchiam, Aristocratiam, & Democratiam, & non plures, licet inter se misceantur hæc, & remittantur aut intendantur, sed sic ut propendeat ac præponderet semper aliqua pars, à quâ jure ei nomen; cum *lip. lib. 2. civ. doct. cap. 2. Arist. 3. pol. cap. 5. & seqq. 8. Eth. cap. 10. 1. Rhet. c. 8. Tholof. l. 5. de rep. cap. 1. Arnif. lib. 2. de rep. cap. 1. sect. 5. & aliis quos longum nimis foret recensere, statuimus) illa competit.*

LV.

Quod ut operosè nimis probare nitamur, hæud opus esse existimo, cum ex præcedentibus satis constet, omni Regulo, omni Reip. perfecta, quæcunque tandem ea sit ac libera, quæ supremam habet potestatem in suo ordine, nec ab alio quoad hoc dependet, Majestatem & jura eidem annexa, competere. Atqui trium jam dictarum specierum, & si quæ ex his mixta existat, id habet ergò. Et hoc est quod *Arist. 3. Pol. c. 6. & 4. Pol. c. 2.* in definitione Reip. primo loco requirit, τὸ κύριον τῆς πολιτείας, vel τὴν κυρίαν ἀλλων τῶν ἀρχων, quæ eam etiam ob causam Reip. fundamentum à *Bodino lib. 1. de rep. cap. 8. in pr. rectè* dicitur. Resp. namque, ut ait *Arnif. de jur. M. l. 1. cap. 2. num. 1.* nihil aliud est quàm hujus potestatis imperium in subditos, quæ qui destituuntur, vel Reges, vel
Prin-

principes, vel civitates, nec illi perfectas Resp. habere dici possunt, siquidem capite carent, à quo motus & sensus reliquis membris communicatur.

LVI.

An e. soli Imperatori competant Regalia & jura Majestatis, quærendum est? Quam quæstionem etsi ridiculam vocitet *Molina, tom. 1. de J. & J. tr. 2. disp. 30. & Arnif. lib. 1. de J. M. cap. 2. num. 3.* vereatur, uti reliquis id principibus persuaderi possit; inventi tamen sunt plurimi magni ac graves Dd. quibus affirmativam tueri placuit, quorum catalogum sat prolixum contexit *Arnif. d. c. n. 2.* in quem referri quoque potest *Vult. lib. 1. de feud. c. 4. in fin. & c. 5. n. 6.* qui apertè defendit, penes solum Imp. verè ac propriè esse Regalia, eumq; solum posse duces, Comites, Marchiones creare, alios v. Reges, quantumlibet nullum in hisce terris superiorem agnoscant, potestatem conferendi supremas istas dignitates non habere. Ut e. hæc quæstio commode discutiatur, & veritas eruatur, hoc ordine nobis procedendum est. 1. Duabus conclusionibus sententiam nostram exponemus, 2. Argumenta, præcipua contrariæ sententiæ adducemus, & 3. illa refellemus.

LVII.

Prima e. conclusio sic ista Imperator dignitatis ratione antestatur omnibus nationibus, de *Cod. Just. confirm. in pr. & dignitates alias longè supereminet, l. cum multa C. de bon. que lib. in fin.* Undè omnes Reges ac Principes, de Christianis loquor, tacito quodam consensu & absque omni controversiâ ei loco cedunt: Et cum alii Reges legatos apud ipsum residentes habeant, ipse nullos mittit nisi ad Pontificem, *Arnif. d. loc. num. 9. & cap. 4. num. 1.* Itaque laudatur æ eritò *Alphonfus Rex Neapol.* qui cum aulici ejus assentatores eum admonerent, ne se demissius quam par esset ergà *Fridericum Cesarem* gereret, respondit; *vestrum non est de regibus judicare, nos Reges omnes reverentiam debemus Imperatori.* *Bertram. de comit. Rom. Germ. memb. 1. th. 16* Hinc quoque *Turcarum Imperator* in Imp. nostro hæc eminentiam agnoscit,

agnoscit, dum scribit ad eum sic. *In fide Jesu Nazareni inter Principes Christianorum summo.* Ac ejus legatos contra aliorum Regum ad se missos oratores hunc sibi honorem vindicare non illubenter patitur. *Leunc. in supplem. annal. ottom.*

LVIII.

Secunda Conclusio. Imperator non est totius orbis Dominus, nec in reliquos Principes omnes jurisdictionem habet, ac proinde non solus obtinet Majestatem. Nam si esset universi terrarum orbis Dominus, vel id esset jure divino, vel naturali, vel humano. Atqui non *divino*, quia nullum sufficiens testimonium ad id probandum adduci potest, Sauli quidem, Davidi, & ejus prosapia nominatim concessa fuerunt regna, sed nemini præterea, neque de Imperatoribus Romæ ullum testimonium. Nec *Naturali*, quia id stultum est asserere, cum jus Naturale nudè consideratum nullum mortalium cæteris dominio prætulit. Neque etiam *humano per Electionem*, cum probari nequeat, quod Electus sit ab universo orbe, aut majore ejus parte; neque *humano per bellum*, quia nullus unquam non solum justè, sed ne injustè quidem subegit sibi nationes omnes in universum, præsertim cum nostris temporibus plurimæ sint reperta quæ antea omninò incognita fuerunt, & multæ aliæ adhuc etiam lateant: Neque *humano per Possessionem* quia lex talis à nemine ferri potuit. Ergo nulla. Plures rationes non affero, quia res est expedita, & communi sensu notissima. Videre tamen possunt, quibus ità lubet, *Molin. l. c. Dom. à Soto de Just. & J. lib. 4. quest. 4. art. 2. Marquard. Erch. in not. ad Petr. de Andl. lib. 2. cap. 8. ad verbum Dominus mundi. Arnif. de jur. M. l. l. c. 2. per tot.*

LIX.

Deinde argumenta contrariæ sententiæ quod attinet, quidam ex jure divino seu sacris literis universale Cæsaris dominium extruere volunt, persuasi mortaliter peccare & pro hæreticis habendos esse, qui ejus se potestati exemptos condendunt, *Bartol. in l. hostes. ff. de capt. & postlim. rev. num. 7. Et quidem l. Eo illo Luc. 2. v. 1. exiit*

exiit edictum à Cæsare ut universus orbis censeretur. 2. Ex eo quod Christus iusserit Cæsari dari quæ sunt Cæsaris, *Matth. 22*. 3. Quod Christus sub Augusto Cæsare natus sit, statimque pro se ac Petro tributum dederit, *Matth. 17*. 4. Quod ad *Rom. 13*. dicitur, Omnis anima potestati sublimiori subjecta sit. Deindè, alii ex *jure naturali* id ipsum deduci posse autumant, Natura quippe nos docuit melioribus obtemperare, & ad Monarchiam viam monstravit, uti in apib. gruib. & formicis, & cæteris brutis animalibus quæ solo naturæ instinctu, unicum observant caput, & unum q. Imperatorem, ad cuius se nutum ac voluntatem totæ convertunt, cernere licet, Ergò ex ipsâ naturâ universale aliquod dominium & generalis aliquis Imperator, qui non nisi Rom. Imperator esse potest, ostenditur. Denique ex *jure civili* alij: Nam l. 9. ff. ad l. Rhod. de jact. Antoninus vocat se *Dominum Orbis*, & l. bene à Zenone C. de quadr. præfer. pro toto orbe laborare dicitur; & passim alibi in eundem sensum scribitur.

LX.

Cæterum hæc tanti non sunt, ut vel tantillum nos movere possint. Nam Resp. ad 1. exiisse quidem à Rom. Imp. edictum, ut censeretur universus orbis, sive illud justum esset, sive injustum, non tamen hinc probari intentum. Deindè, eo in loco nomine orbis non intelligi universam terram, sed per hyperbolen maximam tunc cogniti orbis partem, cui Romani dominabantur, in eodemque sensu Rom. Imp. se aliquandò mundi & orbis Dominos appellarunt. Tertio etiam non infrequens est partem orbis vocari orbem, juxtà illud.

Ignotum vobis Arabes venistis in orbem.

Lud. Mol. cit. disp. 30. n. 3. Ad 2. ac 3. Quod jubet Cæsari dari quæ sunt Cæsaris, non propterea reliquis denegare vult quæ sua sunt, nam Apostolus jubet censum dare omni potestati, omnibusque dominis obedire, *Rom. 13. ad Tit. c. 3. v. 1. ad Timoth. 6. 2.* Et unius inclusio non est alterius exclusio. Quod verò sub Augusto Cæsare nasci se voluit, id nihil probat, quia si ista
argu-

argumentatio valeret, potius Herodi prerogativam concesserim. Ad 4. Omnis anima potestati sublimiori subiecta sit, sed qualibet suæ. Ad 5. Repono i, verba Calv. lib. 4. inst. cap. 6. §. 8. *An ex toto orbe, inquit ille, confluant apes, ut Regem unum eligant? sui alvearii contenti sunt singuli Reges; ita quoque in gruibus unaquæque caterva proprium Regem habet; quid inde aliud evincunt, quam singulis Reb. publ. debere suos Principes attribui?* Hæc ille. Verum e. est, quod habet argumentum, naturam monstrare subjectionem atque imperium, falsum verò quod unicum saltè propterea omnibus velit Imp. alioquin, uti ait Calvin. omnium apum, gruum, &c. Unus satem foret Rex. Deindè, ut hoc quis concedere vellet, adhuc tamen esset in quæstione, An Rom. Imp. is esset, quem natura omnibus in univèrsum mortalibus ostenderet. Ad II. alleg. respond. eas intelligendas esse de subiecta materiâ, ita ut pro Mundo vel Orbe Romanus orbis uti patet id ex l. in orbe, ff. de stat. hom. subaudiri debeat. Nam vel solum jus postlimii, de quo §. si ab hostibus inst. quib. mod. jus patr. pot. solv. Romani imperii fines distinctos fuisse ab aliarum gentium finibus ostendit. Et id ex aliis II per quas superiores istas explicare convenit, manifestum est, uti l. omnibus 26. ad Trebell. omnibus civitatibus que sub imperio Rom. sunt; Ubi spertè innuitur, esse alias extrâ imperium ejus. Imò ipse Imp. Justin. in Nov. 69. c. 1. in pr. sic ait: *Universam ditionem que orientem videt solem & que occidentem, & que est ex utroque latere;* Sed addit: *quæ nostris obedit sceptris. Fatetur e. esse quandam quæ id non faciat.* Sed de hæc quæstione satis, quâ nihil detractum volumus Imperatoris Majestati, nullumque jus cujusquam Principis læsum.

LXI.

Competunt e. omni Regi, omni Principi, ac reip. libertæ, tam intrâ quàm extrâ ecclesiam Christianam Regalia. An etiam ecclesiæ ipsi quatenus ecclesia est, attribui debeant quæritur? De nostris & orthodoxis ecclesiis res certa est, quod illa sibi non assumant. De Pontificiis notius est quam fortè

fortè expedit reip. christianæ; illas non solum Regalia & Majestatem, sed etiam in omnes omninò christiani orbis principes jurisdictionem secularem sibi arrogare. Itaque hodiernis moribus non solus Pontifex sed etiam Episcopi, Cardinales, Abates ac prælati duplicem sustinent personam, Ecclesiasticam & secularem; sic enim respondit Episcopus Coloniensis aliquandò bubulco cuidam à quò cum in audivisset Episcopum esse, propter ingentem armorum numerum, qui ipsum comitabatur, derisus erat. Fulgos. l. 6. memorat.

LXII.

De factò e. Pontifex, secularis princeps est, & summam in suis terris exercet jurisdictionem, nec secùs ac alius aliquis princeps; Nec hoc quisquam negare debet, nisi qui experientia ac sensui communi refragatur. Nihilominus tamen, An Pontifici de jure competat Majestas, & in reliquos principes christianos potestas, (nam & hanc sibi assignat, ut dixi, ac dicam amplius) quærere nil vetat?

LXIII.

Duo quærimus. Primum est, An Pontifex habeat Majestatem? Quam quæstionem, ut optimâ viâ resolvamus, prius videndum est, An hodiè inter christianos regnum seu secularis potestas, cum sacerdotio simul stare possit, ac jure debeat? Dico autem inter christianos: Nam dubium nullum est, quin apud Ethnicos & olim Judæos iidem aliquandò fuerint sacerdotes & Reges. Sic Ægyptii Philosophos & Sacerdotes sibi Reges constituerunt, ut ex Plat. notat Marsil. Ficin. in præf. libr. Trismeg. Et Romulum instituisse uti Reges sacrorum simul ac victimarum principatum haberent, Halic. lib. 2. refert. Julius Cæsar & Augustus Syet. in Aug. T. Vespasianus, Syet. in Vesp. Trajanus, Plin. in Panæg. & alii simul Pontifices fuerunt & Reges. Nec fallitur Justinus lib. 36. dum scribit; Apud Judæos morem fuisse, ut eosdem Reges & Sacerdotes haberent. Nam Melchiledech talis erat. Gen. 14. sed de hoc plurib. vid. ap. Arnif. de sub.

E

de sub.

de sub & exempt. cler. c. 1. num. 4. Tholos. lib. 7. de rep. cap. 7.
num. ult.

LXIV.

Veruntamen, An propterea inter Christianos id iure
obteneat, & an Ethnicorum ac Iudeorum consuetudines nob.
præjudicare possint, quæritur? Negamus propter has causas.
I. Propter expressum Christi interdictum. Nam cum discipuli
ejus de primatu inter se contenderent, eos increpat *Matth. 20.*
v. 25. Marc. 10. v. 42 Luc. 22. v. 25. inquit, *Reges gentium do-*
minatur, & qui potestatem habent in eis vocantur benefici, vos au-
tem non sic, sed qui major est inter vos, fiat sicut junior, & qui
præcedit tanquam minister. Undè talem extulit Syllogismum.
Rever. Dn. D. Gerhard. tom. 6. loc. 26. de minister. eccles. num. 293.
Quodcumque Apostolis & ipsorum in ministerio successorib. Chri-
stus interdixit, illud eis usurpare non licet; Atqui dominatu Politico
& principatuum terrenorum administratione Apostolis & eorum
in ministerio successorib. interdixit. Ergò.

LXV.

II. Propter ipsum Christi exemplum, Palàm ille, ne-
gavit regnum suum esse de hoc mundo, *Johan. 18. v. 36.* Undè
cum cognovisset, quod populi venturi esset & facerent eum
Regem, ipse solus in montem fugit, *Johan. 6. v. 15.* & noluit
sententiam pronunciare de adultera, *Johan. 8. v. 12.* aut ad hæ-
reditatis divisionem compellere fratrem ejus, qui id ab eo pe-
tierat, *Luc. 12. v. 14.* Non enim venerat, ut iudex aut magistra-
tus terrenus. Ex quibus ità rursus colligit Dn. Gerhard. d. loc.
cujus ego verbis lubentius quàm meis utor: *Si Regnum Christi*
non est de hoc mundo, etiam Papa, Episcoporum, & in universum
sacerdotum non debet esse de hoc mundo; Vel si Papa regnum est de
hoc mundo, non erit Christi in illo regno vicarius. Et hoc est, quod
D. Bernhard. confid. ad Eugen. lib. 1. ait: *Ubi quisquam Apostolo-*
rum iudex hominum sedit, aut distributer terrarum? Stetisse Apo-
stolos lego judicandos, non seditse judicantes. Nec Petro dictum est,
rege

rege aut subige, sed pascere, neque dicitur oves tuas, sed meas, *Erasmi in comp. Theol. fol. 26.*

LXVI.

III. Propter distinctionem jurisdictionis secularis & temporalis. Quas duas jurisdictiones semper oportet esse distinctas, & una cum altera non debet misceri, ne fiat quod *Bernhard. lib. 2. consid. ad Eug. dicit, Si utrumque simul habere voles, perdes utrumque.* Et ne cum ab uno utraque administratur, altera negligentius obeatur. Quod enim ad alia officia conferatur, hoc religionis cultui, divini quoque officio decerpitur, ait: *Ambros. in lib. de fuga seculi c. 2.* Quam rationem tangit quoque *Apostolus 2. Tim. 2.* quando dicit: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Sed quia brevitati studemus, plura argumenta non adduimus, adeantur *Dn. Gerhard. & Arnif. citat. loc. & alii.*

LXVII.

Ex his patet resolutio quaestionis; Nam si Majestas, (quae definitur summa in Rep. non in Ecclesia potestas) non competit Ecclesiae in universum, certe neque Pontifici quatenus is Ecclesiasticus audire vult, competere potest.

LXVIII.

Sed quibus ille fundamentis potentiam suam, & in reliquos principes imperium (nam haec duo semper conjungunt Pontificiae sedis patroni) superstruant, paucis dispiciemus.

LXIX.

Secundò e. quaeritur, An Papa in reliquos principes Christianos omnes auctoritatem ac summam jurisdictionem secularem habeat? Ita ajunt Pontificii scriptores *Bellarmin. lib. 5. de Pontif. c. 1. summus Pontifex in jure divino habet plenissimam potestatem in universum orbem terrarum, tum in reb. Ecclesiasticis tum Politicis. Gloss. in c. per venerab. qui filij sunt legit. in verbo*

F 2

superio-

superiorem, Papa est super omnes, & Bald. in c. Eccles. ut lit. pend. Papa est causa causarum, unde non est de ejus potestate inquirendum, cum prima causa nulla sit causa. Gig. in tr. de tract. crim. les. Majest. tit. qual. & à quil. crim. les. Majest. com. 9. 1. Romanus Imperator si adversus Pontificem insurgat, criminis majestatis reus dici & accusari potest. Nec mirari quisquam debet, quod tam impudenti & sacrilego ore hæc & talia his absurdiora de ipso proferre gnationes ejus audeant, cum ipsum sibi hanc potestatem in principes ac imperatores sæpenuerò usurpasse, testes sint historia; Nam Callistus Pontifex adversus Ferdinandum Alphonsi filium, cujus auctoritate atque opibus antea Cardinalis, post Nicolao V. mortuo, Pontifex creatus fuerat, perversa consilia & perfidia plena agere capit, & clam cum primoribus civitatum ac Regulis agere de rebellione, divulgatis etiam epistolis, quibus Ferdinandum supposititium Alphonsi filium diceret, denique aqua & igni interdiceret, qui hujus imperata facerent, & in officio ac fide permanerent. Johan. Jovian. Pontan. lib. 1. hist. m. p. 10. Alexander V. Ladislaum Hungaria Regem, in Concilio Pisano regno privavit. Plat. in Alex. Venetos declaravit Clemens V. pro servis, quod ipsius jussu non abstinerint à bello Ferrariensi. Platin. in Clem. V. Sed quia res toti mundo notissima, plura exempla recensere superfedeo.

LXX.

Argumenta & probationes hujus potestatis, si petas, ex jure divino & sacris literis adducunt I. Matth. illud ult. Christo data est omnis potestas in cælo & in terrâ; Is autem reliquit ejus potestatis vicarium Petrum, & hic Papam. Rd. 1. Ea potestas relicta est Pontifici vel Ecclesiæ, quâ Christus usus est, quia sicut me misit Pater, ita ego mitto vos, Johan. 21. At Christus numquam Politicâ usus est potestate, uti probatum, ergo nec eâ Papa uti debet. 2. Hinc liceat etiam concludere Papam esse omnipotentem, & omnia facere posse quæ DEUS facit. 3. Petitio principio est, numquam enim evincunt Papam esse Christi vicariam in his, quæ ad potestatem secularem attinent,

nam

nam de spirituali viderint Theologi. *Nec enim Petrus tibi dare potuit, quod non habuit, ait Bernhard. lib. 2. consid. ad Eug. Quod habuit hoc dedit, sollicitudinem super Ecclesias. Numquid dominationem? Auli ipsum; Non dominantes, inquit, in clero, sed forma facti gregis.*

LXXI.

Afferunt deinde exemplum Christi, qui ementes ac vendentes è templo ejecit, *Matth. 21.* ideoque potestate usus est Politicâ. Rd. 1. In eo magis officium sacerdotis quàm Regis usurpabat, quia templi curam gerere, ne rebus profanis contaminaretur, ad sacerdotes spectabat. 2. Potius zelo quodam Prophetico, id fecisse dicendus est, sicuti Phinees occidit scortatores, num. 25. 3. Faciebat hoc potius, ut Deus, quia, inquit, Domus mea domus orationis est. *Esa. 56. Vid. Arnif. de exempt. cleric. c. 5. num. 17.*

LXXII.

Proferunt quoque *Matth.* illud 26. ubi Christus dicit ad Petrum, *Reconde gladium tuum;* Unde probari ajunt, quod gladius materialis sit Petri & in potestate Petri, & consequenter Ecclesiæ. Rd. 1. Ex hoc potius adimi Papæ potestatem secularem, quia gladii usus Petro interdicitur, uti rectè putat *Crantz. lib. 8. Vand. c. 2.* 2. Aliud gladius seu ejus possessio, aliud jus gladii. Ridiculum est, ait *Arnif. loc. c.* ex possessione gladii ejus jus velle inferre, quasi non infiniti sint subditi, qui gladios suos habeant, h: possideant, nec tamen eorum quisquam sibi jus gladii vindicare audet, quod ad solum magistratum attinet. Proinde aliâ qualibet ratione secularem sibi potestatem vendicet Papa, non jure Apostolico, ut rursus scribit *Bernh. c. 1.*

LXXIII.

Cæterum aliam ille rationem, quæ quidem subsistere possit, non invenit, nisi prætendendo Donationem Constantini, ex quâ licet non in omnes principes, in eos tamen, qui occidentalem imperii partem tenent, jus & imperium sibi arrogat.

gat. Hanc e. an & illa subsistat, paucis examinabimus, nam multis nunc non licet. Itaque in c. *Constantinus dist. 96.* Coronam & omnem Regiam dignitatem in urbe Romanâ, & in Italiâ, & in partib. Occidentalib. sibi concessam scribit. Ad eundem modum apud *Anselmum lib. 4. pro rubr. cap. 31.* legitur. Item: Dona immensa collata, & fabricam templi primæ sedis B. Petri Apostolorum principis institutam à Constantino, ad eod. ut sedem imperialem, quam Rom. principes possederant, relinqueret, & B. Petro successoribus, quæ suis profuturam concederet; scribere faciunt *Melchiam Papam in c. Futuram 12. q. 1.* At, solam duntaxat urbem Romanam concessam ait *Nicæus III. Papa in c. Fundamenta, de Elect. in 6.* Palatium Lateranense, aut *Damjanus* cum regno Italiæ donatum. Multo aliter donationem explicat *Ludov. Molina tr. 2. disp. 24. num. 1 & 2. de j. & j.* hunc videlicet in modum: Constantinus M. Romanâ urbem Ecclesiæ donatâ, Imperii R. sedem Constantinopolin. transtulit, & imperatores patroni erant ac defensores Ecclesiæ; postquam verò extinctum penè esset imperium in partibus Occidentalib. propter varias septentrionalium gentium irruptiones, quæ id miserè ac foedè lacerarunt, neque Imp. qui Constantinopoli morabantur, rebus Ecclesiæ afflictis opem afferre curarent, tunc quidem Stephanus II. Papa Imperium Rôm. à Græcis ad Gallos transtulit, &c. quâ translatione extinctum illud Imperium consecutâ donationem Constantini expitasse ait *disp. seq. num. 5.* & longè diversâ: originem ab illâ antiquâ habuisse bona, quæ ad patrimonium Ecclesiæ R. pertinent ex Alberto Pighio ostendere conatur, nimirum hanc; Arithpertus Longobardorum Rex donavit Ecclesiæ R. Exarchatum Ravennatem & multa aliâ. Pipinus postea & Carolus Magnus ejus filius extirpatis funditus ex Italiâ Longobardis donationem auxerunt. Mechtildis postea Comitissa moriens, Ecclesiæ R. reliquit quicquid à Pissâ amne, & S. Quirico agri Senensis usque ad Ceperanum inter mare & Appenninum interjacet. Atqui hoc est, quod peculiariter vocatur Petri patrimonium. Ultrò deinde accesserunt terris Ecclesiæ

Bene-

Beneventanus ducatus, & postremò utraque Sicilia Normannorum fratrum Tancredi filiorum virtute à Saracenis & Græculis vindicata. *Ità Moli. 12.* cui si adhibenda fides, quid opus est toties allegare Donationem Constantini, quæ expiravit?

LXXIV.

Sed non consentiunt inter se donationis hujus auctores, alio sedem imperialem, alio Romanam saltem urbem, alio totum occidentem, alio Italiam tantum, alio Palatium Lateranense attributum saltem Pontificibus asseverante, aliis denique aliter loquentibus quorum omnium dicta hùc allegare præter rem est. Quod primum donationis suspectæ indicium & argumentum esse poterit; Nam *scriptura diversa & sibi invicem fidem derogantes nihil firmitatis habere possunt, l. 14. C. de fid. instr.* Nec ipsi auctores tantum diversa loquuntur, sed etiam 12. diversa donationis instrumenta proferri posse ex *auth. comment. ad Donat. Const. ad Reg. Brit. scribit Arnif. d. loc. videlicet Ivonis, Gratiani, Martini Poloni, Alberici Suriani, Vaticana duo, Balsamonis, Picernatis, Steuchi, Vernerii Agilei, Freheri, & Julii Cæsaris Bulingeri.*

LXXV.

Deinde non sibi consentiunt de Donatore ipso. Modò enim Constantinum, *d. c. Constantinus.* modò Ludovicum, *Pium, cap. Ego Ludovicus, dist. 53.* modò Carolum Magnum, *Crantz. lib. 8. Vand. c. 2.* Modò Pipinum, Rursus Arithpertum, inde Mechtildem, Tancredi filios, & nescio quos in Pontificem, hæc omnia transulisse scribunt. Atqui *per rerum naturam fieri non potest, ut qui opinionibus differunt, veritatis unius habeantur auctores, ut scribit Arnob. lib. 7. ad versus gent.* Sed si Constantino hæc Donatio ascribendo, quorsum opus erat libertate nova Pipini, vel Caroli, vel Ludovici, vel aliorum? *Quod enim semel meum est, amplius meum fieri nequit, §. 10. inst. de legat. & plurib. quid. ex causis res mihi deberi, sed semel tantum mea esse potest, l. 14. §. 2. ff. de except. rei jud. Verùm Rd. Molina, cit. disp.*

cit. disp. 25. Aliud jus fuisse servatum in imperio Græcorum, aliud in Imp. Rom. & expirasse Donationem Constantini. Dico: Si quidlibet comminisci licet, jam causæ suæ vel desperatissimæ nemo patrocinari desinet; & cur hujus expirationis præter Albertum Pighium, ex quo illam Molina mutuatur, nemo reliquorum meminit, sed omnes à Constantino factam donationem, à reliquis quoque vel factam simpliciter & incautè asserunt, vel, qui prudentiores esse volunt, auctam & confirmatam? Et hinc est, quod semper & ubique Donationem Constantini tamquam adhuc hodiè validam tam Pontifices, quam Pontificæ dignitatis assertores allegent. Deindè, uti rectè notat *Arnif. de donat. Const. num. 10.* non animadvertit Molina, quod hæc responsione totum de translatione imperii figmentum eludat. Si enim Imperator jus nullum habet, nisi per concessionem Pontificis, quare Pontifex jus suum sibi non reservavit? An non vulgata est Regula, inquit ibidem, quod res transeat cum suo onere?

LXXVI.

Unde tertium adversus hæc Donationem argumentum duci potest; Nam si jure divino, ut supra audivimus, Papa totius mundi Dominum se vult esse, & imperatores supereminere, veluti solis lumen lunæ aut reliquorum minorum syderum, quid opus erat Donatione Constantini, quam certum est juri divino detrahere? Dominium enim ut antè dixi, non ex pluribus causis, sed unâ tantum acquiritur, *l. 3. §. ex plurib. ff. de acquir. vel amitt. possess.*

LXXVII.

Quartò. Nemo Historicorum istius vel illi proximæ ætatis Donationis Constantini meminit, non Eusebius, qui fuit diligentissimus scrutator & narrator rerum christianarum, quod tamen nullo pacto videbatur omittendam. Nec Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Basilius, Johannes Chrysostomus, nec Ammianus, nec Historica Tripartita, nec ipsemet
Damascus

Damasus Papa in suo Chronico, nec Beda, nec Orosius. Quod fateri etiam necessum habent ipsi Pontificii, & fatetur Hieronymus Paulus Cathalanus Canonicus Barcinonensis, Cubicularius Alexandri VI. Pontificis, in libello quem vocant Practicam Cancellaria Apostolica, (cujus hæc verba sunt, quæ posui) & præter cum plures alii. Imò potius contrarium ex historiis liquet; Nam Constantinum totum Imperium divisisse filiis suis tribus, ita, ut Constantinus filius Occidentalem partem, Constantius Orientalem, Constantius interjectas provincias, h. Italiam & Illyricum acceperint, scribit Euseb. l. 4. de vit. Const. & Socrat. l. 3. hist. eccles. c. ult. Constat præterea, ut rursus scribit Cathalan. ibid. per plures quam 300. annos post Constantinum Imperatores tenuisse gubernacula urbis & Italia per duces, præfides, & exarchos, & urbis R. usq. ad tempora Junocentij. II. Notatu quoque dignum est, quod scribit Antonin. Archiepiscopus Florent. & ipse Pontificius, 1. part. hist. tit. 8. c. 2. §. 8. Tertium (inquit) dubium est, de donatione facta Ecclesie à Constantino, de qua habetur in decretis dist. 96. Constantinus. Sed illud cap. non habetur in antiquis decretis.

LXXIIX.

Paret e. rectè Alexandro VI. Pontifici Venetos sciscitanti, quo jure Veneti Adriæ Imperium & Insularum usurparent, respondisse, eodem planè modo, quo is possessionem Italia sibi vendicat. Seque mirari Sanctiss. D. non legisse in autographo Donationis Constantini M. quod dicitur servari in Vaticana: cum ibi totidem claris & expressis verbis tantum concedatur S. Marco potestatis in mari, quantum S. Petro in terrâ jam piscatori hominum & regionum feliciter facta, postquam deseruisset retia & littora. Abr. Buchol. ind. Chron. ad Annum Christi 1500. Camer. cent. 1. hor. subcis. c. 61. Et B. Luther tom. 6. Jenens. Germ. p. 684. Donationem hanc rectè vocasse, eine schändliche verzweiffelte böse Lüge / die mit schändlichem verzweiffelten bösen Latein hat müssen zusammen getrieben werden.

F

Denique

LXXIX.

Denique, si facta esset, non tamen posset subsistere, nam neque imperator potuit donare in reip. detrimentum, ut de Majestate in universum supr. probari, neque Papa potuit tantum recipere. Sed de hac quaestione satis, quam optime ventilatam vide, si placet, à Laur. Valla. in declam. de Don. Constant.

LXXX.

Ultimò quaeritur, An etiam foeminis assignanda sit Majestas? Rd. quamvis *γυναικεία* regulariter improbumus, eò, quod foemina inconstans, vitiosa, lubrica sit, ubi prob. Lips. l. 2. Pol. c. 3. Arnif. l. 2. de rep. c. 2. sect. 2. & c. in iis tamen Regnis ubi lex & patrius mos iis scepra deferunt, non repugnandum videtur, quin iis Majestas quoque competere sit dicenda. Et tantum de Majestatis naturâ in genere.

Soli DEO Gloria.

Ad





the scale towards document

26

EXERCITATIO
De
PATHIA NA-
TIONUM

Moderatore
V I R O
gentissimo & Clarissimo
STIAN - FRIDERICO

L. & Hist. Prof. Publ. Collegii Major.
legiato, Alumnorum Electoralium In-
Academiae Decem Viro, Praeceptore
& Fautore aetatem colendo
publice proposita

à
IOFREDO Kretschmarn.
A & R.

Ad diem IV: Eidnum April.
M. DC. LXI.
H. L. Q. C.

LIPSIAE,
Typis BAUFRIANIS.